

ginis Mariae in illa die in coelo celebrari; sed quo tempore id contigerit, non commemorat. Card. vero Baronius (to. 1. c. 1) putat tempore d. Augustini hoc festum non celebratum fuisse, eo ductus argumento, quod d. August. (ser. 21. de sanctis) dicit: *Solius Domini, et b. Ioannis dies natiuitatis in universo mundo celebratur, et colitur*; verum, qui dixerit, d. August. per particulam illam, *solius*, solum excludere viros (prius enim dixerat, quod nulli unquam sanctorum legimus fuisse concessum), facile hoc testimonium eludet: forsitan tamen tempore d. Augustini, dicunt alii, hoc festum universe non consueverat agi, sed in particularibus ecclesiis tantum: in romana tamen ecclesia persolenne extitisse a tempore d. Gregorii, ut antiphonarum eius declarat; adduque apud ecclesiam Graecam antiquiore fuisse hanc solemnitatem, cum in antiquioribus eorum calendaribus inserta, et in nonnullarum bibliothecarum membranis a d. Chrysostomo, Proclo, Andrea Cretensi, variis orationibus collaudata inueniatur: at his omnibus se opponens b. Petrus Damianus (tom. 1. serm. 2. de Nativ.) non dubitavit dicere: *Quae cunctis solemnitatibus est antiquior tempore, nequaquam debet esse inferior dignitate*. Et quidem mihi difficile persuadere, in Ecclesia Christi antiquiore esse celebratam ortus sui praecursoris, quam suae Matris, cum in ea nunquam dubitatum fuerit, sanctiorem natam fuisse Mariam ex utero matris suae, quam Ioannem.

Ceterum ad gaudium ob natalem Virginis universum orbem exhilaratos reverentes, Ecclesia canente: *Nativitas tua, Dei Genitrix virgo, gaudium annunciat universo mundo*; sanc David felicem hunc ortum Deiparae Mariae aliquando contemplant, ad festiva exultatione illum celebrandum nos invitavit, dicens (Psal. 80): *Exultate Deo adiutori nostro, tubilate Deo Jacob: sumite psalmm, et date tympanum, psalterium iucundum cum cithara: buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrae*. S. Thomas docet (1. 2. q. 102. ar. 4. ad 10), per neomeniam tubam, aut novam lunam, quod idem est, significari illuminationem novae Ecclesiae per Christum: et addit inferius: *festum neomeniae succedit in Ecclesia insigni die b. Virginis, in qua primum apparuit illuminatio solis, idest Christi, per copiosam gratiam*: haec ille. Ecclesiast. dixit (Eccles. 43): *A luna signum diei festi*. Quia ergo ab hac nova luna recenter exorta exordium sumpsit redemptionis, et gaudium generis humani, id praevideus regius Vates dixit (Psal. 80): *Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrae*: et quidem si Abraham gavisus est in ortu Isaac, et Anna in nativitate Samuelis, et tota domus Zachariae in natali Baptistae; multo magis laetari licebit in ortu Mariae, quae totius exitum humanae salutis exordium. Scio Augustinum (lib. de visitat. infirmorum) dixisse: *Audent pronuncie, quia principium vitae hominis initium dolorum est: suere philosophi hoc non ignorantes, qui in ortu pueros lugebant, in morte autem gauderant, hoc significantes, quia homo ad laborem nascitur, ad quietem autem moritur. Sanctus ille David et de ortu, et de vita filii, quem de Bersabea susce-*

perat, in tantum est contristatus, ut, dum puer adhuc viveret, lugens, et incandens maneret, mortuo autem parvulo, et gauderet, et caenaret. Item ad idem propositum loquens Ambrosius (lib. de fide Resurrect. cap. 2) dicit sic: *Feruntur fuisse populi qui ortum hominum lacerent, obitusque celebrant: nec quidem imprudenter; eos enim, qui in hac vita solym venissent, moerendos putabant; eos vero, qui ex istius mundi procellis, et fluctibus emerissent, non iniusto gaudio prosequendos arbitrabantur. Nos quoque nates dies defunctorum obliviscimur, et cum, quo obierunt, diem celebri solemnitate renovamus: haec ille. Bene ergo scriptum est (Ecclesiastici 7): Melior est dies mortis die natiuitatis, tum quia dies natiuitatis est ingressus ad miseria, tam culpa, quam poenae vitae huius, secundum illud Iob, 13. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*; sed dies mortis iusto est egressus, et liberatio ab omni poena, et miseria, ut ait Ioannes (Apoc. 14): *Amado iam dixit spiritus, ut requiescant a laboribus suis*. Secus autem fuit in Virgine, quae sicut omnis peccati experta nata est, ita et absque ulla peccati laebe totam vitae suae curriculum peregit. Nullius ergo spiritualis miseriae, sicut in nobis, nativitas eius praesaga fuit, et praenuncia: unde beatus Petrus Damianus tam pie, quam erudite dixit; *Excultemus, inquam, et sicut gaudere solemus in natiuitate Christi, ita etiam gaudemus in natiuitate Matris Christi: hodie nata est regina mundi, fenestra coeli, ianua paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala caelestis, per quam supernus Rex humilitatis ad terra descendit, et homo, qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit: hodie apparuit stella mundo, per quam sol iustitiae illucit mundo, illa videlicet, de qua per prophetam dicitur: Orietur stella ex Jacob, et exurgit homo de Israel: hodie nata est splendidissima illa Virgo, ex qua processit Speciosus forma prae filiis hominum, tanquam sponsus procedens de thalamo suo: hodie prodit ex utero Matris, quae templum fieri meruit divinitatis: haec ille. Velut fuit consueto in lege scripta apud antiquos Patres, ut dies ille, quo singulare aliquod beneficium a Deo obtinerent, ipse sacratus, et sollemnis esset: unde Exodi (cap. 12), dicitur: *Habebitis autem hunc diem in monumentum, et celebrabitis eum solemni Domino in generationibus vestris cultu sempiterno*. Cum etiam regis sententiam de delendis Iudaeis revocata fuit ex reginae Esther intercessione, dies ille festivus, et celebrissimus coepit haberi (Esther. 9): *Isti sunt dies, quos nulla unquam oblivio delebit, et per singulas generationes cunctas in toto orbe provinciae celebrabunt: ac tandem (1. Machab. 4), ut templi dedicationem solenni ritu colerent, diem festum cum oclava insituerunt: sic sane sancta mater Ecclesia, cum ex natali huius sacratissimae Virginis pene innumera beneficia recipiat, in eorum gratitudinem festum hoc solemniter celebrat. Quod si quispiam quaerat, quae sint haec beneficia, commemorat illa d. Bernardus (ser. 2. Pentecostes), dicens: *In te angeli laetitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inveniunt in aeternum: merito in te re-****

spiciunt oculi totius creaturae, quia in te, et per te, et de te benigna manus omnipotentis, quidquid creaverat, recreavit.

Tandem si quondam principum, et aliorum insignium virorum ortus magna animi iucunditate celebrabatur, ut constat in l. finali. C. de feriis; ubi natalitia regum feriae solemnes nuncupabantur, et in illis omne ius praetorium cessabat, ut adnotat Glossa ibidem: unde d. Marco id referent (cap. 6), Herodes rex in die natalis sui caenam fecit principibus, et tribunis, in quorum conspectu et illa eius saltavit: et, ut tradit Plato, Persae variis laetitiae signis, ac celebri pompa ortum principis regni haeredis celebrabant: et, ut scribit Porphyrius in vita Platonis, discipuli illius natalitia sui magistri singulis annis magna solemnitate colebant: ac tandem, ut testatur d. Augustinus, Plato ipse, die ortus sui ad lautum convivium omnes amicos suos invitabat: si ergo natalitia eorum, qui in peccatis nascebantur, et de quorum nativitate magis plangendum, quam laetandum foret, eo quod aditum, et viam aperit ad peccata, a quibus nemo immunis est, quoniam, in multis offendimus omnes (Iacob. 3); unde tertium concilium Toletanum docet Christum lacrymantem fuisse in resurrectione Lazari (Jo. 11), quia redibat ad vitam peccatis obnoxiam: si, inquam, horum nativitas cum ingenti gaudio celebrabatur; potiori quidem iure felicem ortum beatae Virginis celebrare debemus; cum praeterquam quod sanctus fuit, omnis futurae sanctitatis principium exitit: quare melius, quam quilibet mortalium, beata Virgo dicere potuisset: non mihi solum nata sum, sed parentibus, et patriae, et fratribus, et universis, qui meam open imploraverint; et quod magis est, et mihi soli reservatum, nata sum Deo meo, ut ex meo sanguine carnem assumat, ex meo utero nascatur, ex meo lacte nutriatur, calore meo foveatur, et inter ubera mea commoretur.

Addo, quod si Salomon cum israelitico populo in dedicatione templi ex lapidibus facti, copiosum, et magnificentum sacrificium ingenti a lacritate sollemniter celebravit; maiori certe gaudio nativitas Virginis celebrari debet, in cuius utero, velut sacratissimum templum, Deus ipse descendens, et humanam naturam ex ea suscipiens, cum hominibus voluit habitare, cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA III.

In honorem felicitis ortus Deiparae Mariae variis animi conceptionibus elucidantur verba illa Cantico: Quae est ista, quae progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra, ut luna, electa, ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata?

Pulchram haec angelorum interrogationem, tametsi non desint, qui ex ignorantia processus arbitrati sint; ea tamen satis perspicua ratio mihi suadet, non ignorantiae, sed admirationi potius adscribi debere, quod eisdem verbis, quibus quaestioem proponunt, eandem

et solvunt; continent enim miro ac singulari artificio quoddam echo, respondens interrogationi: si enim percontantur: *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora?* aurora respondet echo: cum etiam interrogat: *Quae est ista, quae progreditur pulchra ut luna?* luna similiter occurrit echo: deinde cum quaerunt: *Quae est ista, quae progreditur electa ut sol?* sol refert echo: ac tandem cum perquirunt: *Quae est ista, quae progreditur terribilis, ut castrorum acies ordinata? nata;* respondet echo quasi diceret: nata est fortis, ut exercitus, et ut Minerva, quam armatam natam Genilites fingebant. Quadruplex haec responsio, quam apte in beatam Virginem conveniat, paulatim elucidemus: est enim in primis aurora, quia praeterquam sicut sol est partus aurorae, ita Christus sol iustitiae partus fuit Virginis, ut ait Evangelista (Mat. 1), *de qua natus est Iesus*. Certe sicut aurora prima est, quae noctis tenebras expellere incipit, ita b. Virgo infidelitatis, et ignorantiae obscuram noctem, quae universum orbem occupabat, Apostolo dicente (Galat. 3): *Conclusit omnia Scriptura sub peccato, suo clarissimo ortu exclusit*. Singuli patriarchae, quos sacer evangelista commemorat, singulae fuerunt horae illius caliginosae noctis, unde antiqui Patres ardentissime agnoscere desiderantes, vitam fuisse iam transactae illius horae, clamabant, ut refert Isaias (cap. 21): *Custos, quid de nocte?* cui interrogationi respondit custos, iam adventasse auroram, et dixit custos: *venit mane*. Exponit ad hoc propositum d. Augustinus praesens vaticinium dicens (sup. c. Ioan.): *Mundum interrogare Deum, qui humanae praecipue creaturae custos est, Iob dicente (cap. 7): O custos hominum, quantum temporis defecerit ad solis ortum, hoc est, ad Christi adventum, tunc ait: Deum custodem respondisse: venit mane; quasi diceret: non longe abest sol, cum iam adsit aurora futura eius Mater: iam infelices illae tenebrae horae noctis pertransierunt; venit iam clara, aurea, et iucunda hora, id enim sibi vult aurora, scilicet, aurea hora, ut periti latinae linguae docent, adventus solis praenuncia: unde Maurilius (lib. de corona Virginis ser. 32) ait: *In libro de proprietatibus rerum dicitur: Orietur lucifer in aurora, et Orientis solis praesentia nunciatur esse proxima, et ceteris visione omnes laetantur, et similiter lucifer gratiae divinae ortus est ab hac aurora, idest a Virgine Maria, et ipsa gemmis omnium virtutum adornata Christum solem iustitiae non solum praemonstravit, quinimo in suum uterum traxit, et nobis peperit, ex quo lactata est omnis creatura; et d. Bernardus: Certe o Maria, officium aurorae implevit: ipse enim Sol iustitiae de te processurus ortum suum quadam matutinali irradiatione praeveneris, in te lucis suae radios copiosissime prona fudit: haec ille. Congruit etiam Virgini auroram vocari in suo ortu: nam sicut infirmi febricitantes adveniente aurora melius se habent, quia tunc febris fervor languescit, et minoratur; ad eundem modum infirmus mundus gravi peccati morbo febricitans tempore ortus huius aurorae melius, quam unquam se habere coepit, ut non obscure indicavit lucta illa Iacobi cum ange-**

lo: fortiter enim pugnavit cum illo audivit ab eo (Gen. 32): *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Certe antequam oriretur beata Virgo, Deus et homines ad invicem sibi indixerant immanem bellum; homines quidem peccatorum tela in Deum coniciebant, Deus autem iustitiae suae iaculis eos feriens, contra eosdem luctabatur: at aurora Maria adveniente, Deus ait: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora;* quasi dicat: ortu Mariae ortae iam inter nos rixae cessent, lites pereant, controversiae nec nomenclatur infer nos. Sed et illud silentio non praetermittam, quod sicut ibi Iacob noluit dimittere angelum, donec in illa aurora duo praecipue beneficia acciperet, illuminationem intellectus; impositum enim ei nomen Israel, quod interpretatur, *Vir videns Deum;* et carnis purificationem: *emancipatus nescis femoris eius: non secus in ortu huius aurorae mundas coepit illuminari; et purgari: quae duo opera Christi postea oriens ex hac aurora mirifice perficit, et consummavit.* De primo enim Ioannes ait (Ioan. 1): *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* De secundo d. Paulus (Hebr. 1): *Filius Dei purgationem peccatorum faciens.* Ad haec quemadmodum aurora genitrix est roris, inde d. Isidorus (lib. *Ethymologiarum*) docuit, idem esse auroram, quod *aura rovas;* sic beata Virgo velut divina aurora coelestem illum rorem genuit, ut ait Evangelista, *de qua natus est Iesus, quem Patres desiderantes clamabant (Isa. 45): Morate coeli desuper, et nubes pluant rictum, et de quo arborum spiritu propheticum locutum fuisse Isaac eidem Iacob, cum benedictionem illam ei imperavit: Det tibi Domine de rore coeli, et de pinguedine terrae: per rorem enim intelligebat Christum, et per pinguedinem terrae focunditatem Mariae: ipsa enim est terra illa, de qua David dixit (Psal. 84): Veritas de terra orta est. Sicut item ex rore in concilium coelitus decidente, tum virtute caloris solis, tum virtute temperamenti, et dispositionum eiusdem concilii pretiosa gignitur margarita; non dissimiliter Verbum divinum instar roris ex christallino coelo paterni pectoris in concilium uteri virginici decidentis, humanam carnem induens, Spiritus sancti calore fovente, et generativa Virginis potentia concurrente, inestimabilis illa margarita confecta fuit, pro qua possidenda Saluator ipse dixit, quod sapiens negotiator (Matt. 12) *Abiit, et vendit omnia, quae habuit, et emit eam.* Et quemadmodum in aurora olim colligebatur manna; sic ex hac aurora duplex manna colligit quotidie Ecclesia catholica, et manna consolationis, quam instar piae matris exhibet; et manna corporis Christi in eucharistia ad cibationem fidelium, ut in figura illius dixit David (Psal. 77): *Pluit illis manna ad manducandum.* Tandem sicut aurora medium est inter noctem, et diem, et nonnihil ab utroque extremo participat; ita beata Virgo particeps fuit veteris legis per noctem significatae, et novae per diem designatae, ut Pauli verba clare indicant (ad Rom. 13.): *Nox praecessit, dies autem appropinquavit.* Addit etiam Rupertus (lib. 6. in *Cantic.*) quod sicut aurora quotidiana finis praeteritae noctis est, et initium diei sequentis, sic*

nativitas Virginis finis dolorum, et consolationis fuit initium; finis tristitiae, et lactitiae nobis exiit principium.

Porro iam ad celebre illud lunae epithetum, quo angeli b. Virginem in ortu suo cohonestarunt, nostram dirigamus orationem; mirifice quidem ei convenit, *lunam* appellari: sicut enim luna inter omnes planetae posuit esse velocior, ita beata Virgo velocius adeo cunctis, ut non solum in ortu, sed ante ortum ab instanti suae immaculatae conceptionis, vel, ut aliis placet, a puncto suae sanctificationis, usum rationis, et actum, quo se disposuit ad gratiam, exercuerit, ut docent d. Bernardinus Senensis (ser. de B. Virg. c. 1) et card. Caietanus (3. p. *quaest.* 27. ar. 3). Cunctis etiam adeo celeri cursu, ut post triduum mortis suae continuo resurrexerit, et in corpore, et anima, ad superos evolavit; cum tamen reliquis, et usus rationis amplius differatur, et corporum resurrectione in postremum iudicii diem reservertur: ecce miram huius mysticae lunae velocitatem! Sicut etiam luna usque in decimum quartum diem, parumve plus, semper crescit, deinceps tamen, cum plena est, maior apparere minime potest, quinimmo exinde magis, ac magis decrescit; ita beata Virgo instar lunae, usque ad quartum decimum annum paulo, plusve in praerogativa, et favoribus coelitus sibi impensis semper crevit; postquam tamen plenitudinem divinitatis per incarnationem Verbi in utero eius factam mira splendoris claritate corporaliter suscepit, ut merito ei conveniat illud (Ecclesiast. cap. 50): *Quasi luna plena in diebus suis luceat, non potuit ad Dei Genitricis culmen iam elevata amplius dignitate crescere, et sublimari, quin potius exinde magis ac magis se humilians, in propria opinione apud seipsam decresebat, et se omnibus inferiore reputabat.* Sicut itidem luna quandoque respectu solis superior, quandoque inferior, nunc in oppositione, nunc ad latius eius adest; ita in Virgine tota haec varietas effulsit: superior exiit soli insititiae, Luca attestante de Christo (cap. 2), *subditus erat illi;* subditus autem relationem dicit ad superiorem: inferior exiit, quando Christus exallatus in cruce, ipsa secus pedes eius aderat; deinde in oppositione fuit, cum angelo vocante illam Dei nomine (cap. 17), *gratia plena, ipsa pro singulari sua humilitate opposuit se illi, humilem, atque abiectam ancillam se compellans.* Coepit tandem a dextris eius esse in die assumptionis, Davide dicente (Psal. 44): *Astitit regina a dextris suis in vestitu deaurato.* Quemadmodum etiam apud Romanos luna nobilitatis exemplar exiit; ita Virgo tot regibus, ac principibus illius originem decorantibus maximum nobilitatis splendorem secum fert. Illud etiam, quod luna prae ceteris corporibus coelestibus singulare habet, ut cum illa diaphana, et transparentia sint, ipsa corpore opaco praedita, secundum profundiores partes videri non possit, Virginis excellentiam super omnes sanctos non parum commendat. Ipsa enim instar lunae pulcherrimae, non corpore diaphano, ut alii sancti, quorum sanctitatis lux penetrari potest, sed opaco praedita fuit, quod intus perlustrari nequit; quia teste

Davide: *omnis gloria eius filiae regis ab intus:* unde sicut corporis opaci sola superficies illustratur, et videtur; ita beatae Virginis sanctitatis solum superficiem, non profunditatem intuenitur, utpote quam sola divinae mentis aures perlustrare, ac penetrare possit. Deinde sicut luna in ortu suo, ut astrologi docent, et nautae frequenter observant, mare, quod est in parte orientali crescere facit, decrescere vero, quod est in parte occidentali; sic mystica haec luna Maria in ortu suo causa fuit incrementi sanctitatis in regionibus orientalibus, decrementi vero idololatriae in partibus occidentalibus, ubi idolorum cultus maxime vigeat. Verum licet ex omnibus his lunae proprietatibus apta verum comparatio Mariae cum luna, ex multis tamen omnibus videtur illam valde decredere, nam luna mutabilitatis symbolum est: unde Ecclesiasticus ait (cap. 27): *Stultus, ut luna mutatur: luna praetera non semel maculis deturpata comparat, nec semel in fluxu suo rationis iudicium laedere solet;* unde Lunaticus dicitur, qui certis temporibus iudicio caret; quandoque etiam exuberantem laetitiam pari: ac tandem omnes cavent, vigente luce lunae, discooperito capite incedere, ne a malefico eius influxu quidquam laedantur. Cum pravis ergo his, et aliis per pluribus detestandis proprietatibus scateat luna, minime videbatur Virgo sanctissima ei comparanda. Non ignorat certe haec obiectionem Spiritus sanctus; et ideo quatenus luna praeclaris naturae dotibus ornata est, Virginem ei comparavit; quatenus vero nocivis proprietatibus abundat, et inconsistantiae, ac mutabilitatis symbolum esse, sub pedibus b. Virginis illam calcantibus eandem apposuit, ut vidit dilectus Discipulus (Apoal. 12): *Et luna sub pedibus eius:* in quo non pauca b. Virginis encomia nobis propalanda latent. In rebus quidem humanis nihil stabile, ac firmum videmus, omnia mutabilitati sunt obnoxia, Apostolo dicente (Rom. 8): *Vanitas subiecta est omni creatura.* Descripsit egregie hanc rerum mutabilitatem Ovidius (15. *Metam.*):

Cunctae flunt, omnisque vagans formatur imago. Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu; Non secus ac flumen: neque enim consistere flumen, Nec levis hora potest; sicut unda impellitur unda, Urgeturque eadem veniens, urgetque priorem: Tempora sic fugiunt, pariter, pariterque sequuntur. Transit in aestatem post ver, robustior annus.

Fitque valeus invenis, neque enim robustior aetas Ulla, nec uberior, nec quae magis audeat, ulla est. Nec sapiens sua cunctae manet, rerumque voratrix. Et aliis alias reparat natura figuras.

Nil equidem durare diu sub imagine eadem. Crediderim, sic ad ferrum venisset ab auro Tempora, sic folies versa est fortuna locorum.

Immo, non solum in rebus humanis, sed in ipsis angelis instabilitas, et mutabilitas viguit, Iob dicente (cap. 4): *Ecce, qui servavit ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit praeterventem.* Omnem quidem nocivam mutabilitatem ad triplex genus revocare possumus: prima est omnium detestabilissima, a gratia ad culpam, seu a iustitia ad iniustitiam, de qua

David (Psal. 77): *Filiis Ephrem etc. conversi sunt in die belli: secunda est mutabilitas corporis in pulverem, de qua (Genesis cap. 3): Pulvis es, et in pulverem reverteris: tertia mutabilitas est, quam vocant fortunae, de qua Ecclesiasticus (cap. 3): *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas: et: nihil stabile sub sole.* Ut ergo Spiritus sanctus significaverit omnia haec mutabilitatis genera a Virgine supplantari, ideo lunam, quae mutabilitatis symbolum est, sub pedibus eius calcandam apposuit: nec enim unquam obnoxia fuit mutationi gratiae ad peccatum, quae mater gratiae erat, et ab instanti suae conceptionis impecabilis facta fuerat; nec etiam mutationis sui corporis in pulverem particeps unquam fuit, quae incorruptionis singulari privilegio donata exiit, instar corporis Christi, de quo David (Psal. 15): *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem;* non tandem subiecta fortunae, ut aiunt, mutabilitati, quae in distribuendis divitiis, et honoribus summa pollet difformitate, et instabilitate, cuius animus melius, quam Paulus dicere potuisset (Philip. 3): *Omnia, ut sterora arbitratus sum, et Christum lucrifaciam.* Sed prohi dolor! cum divitiae, cum dignitates, et mundani honores nulla ipsa instabiles, et fugaciores sint, cultores huius saeculi nihil quam illos avidius expectant, nihil diligentius quaerunt: quam hominum amentium contemptans nostrer sanctus Antonius Paduanus (serm. 15 p. *Trinit.*), illam ad eam manifestandam, lupi fabellam adhibuit: *Impus, inquit, videns lunam in aqua puti, velut in speculo representantem, putans illam recentem caseum esse, ex falsa hac existimatione in puteum descendit; postea vero cum nihil inveniret, nisi meram imaginem lunae, et volens redire, non posset ascendere, a pastoribus confestim lapidibus obrutus fuit: ita sane, ait sanctus Antonius, multis contingit, qui existimantes voluptatem, et requiem in deliciis, et divitiis, in honore, et dignitate inventuros fore, postea vero nihil invententes, praeter solum imaginem, Apostolo dicente (1. Cor. 7), *praeterit figura huius mundi, oleum, et operam perdunt, ac misera morte intereunt: quod sane idem octum habuit, ut dixit ibidem sanctus Antonius, quod credit stultus consilio vulpis; id est, concupiscentiae carnalis transitivum, mutabile, et fictum, bonum, verum, permanens, et stabile esse: non sic b. Virgo; sed lunam pedibus calcant, ut omnia haec caduca, et subalternaria se despessio commonestrat. E contra quidam faciunt profani huius saeculi sectatores, hoc est, divitiarum, et honoris caduca, et mutabilia bona super caput suum constituent, solum vero Christum sordidissimis peccatorum pedibus calcant, ac vilipendunt. Hanc execrandam impudentiam Ieremias deplorans dixit (Ierem. 12): *Conculcaverunt partem tuam: alii sanctificationem; quasi diceret: nihil penderunt legem tuam; quae observata, sanctificatio est animarum.* Threnorum (c. 1) legitur: *facti sunt hostes eius in capite, ac si clarius dixisset: eo pervenit amentia, ac inverecundia cultorum huius saeculi, ut divitias, honores, et dignitates, quae sunt capitales hominis hostes, super caput suum, velut diadema, posterunt. Ut enim adnotavit****

d. Ambrosius (*homilia 6. in Exameron*): illi dicuntur bona educta super caput suum gerere, qui tanti illa faciunt, ut in eminentissimo omnium loco digna illa collocari falso arbitrentur. At cum contempler, pedem Virginis lunae superpositum, videtur mihi, quasi clavum infingere rotae fortunae, ne sua multitudine super illam dominari possent; nisi etiam velis dicere, quod non inepte dices, beatam Virginem pedibus suis lunam calcantem, non obscure significare, quod si luna, quae non semel cornuta apparet, alteius malevoli influxus cornibus filios suos ferire contendat, praesto beatissimam Virginem adesse pedibus suis illam coocerentem, ne quidquam eos laedere possit.

Ceterum, quia parum videbatur angelis b. Virginem in ortu suo aurorae, et lunae contulisse, soli persimilem esse dicant (*Cant. 6. electa ut sol*: et merito quidem, quia sicut sol oritur ex alto, singulari splendore rutilans; sic b. Virgo orta fuit ex alto regum progenie; et sicut sol reliquis planetis naturae suae nobilitate praecellit, ita b. Virgo generis nobilitate, et splendore mortales omnes excellens, variis sanctitatis fulgoribus cuscuscat: et sicut sol praestantissimum est omnium mundi ornamentum, ita inter puras creaturas b. Virgo est Ecclesiae catholicae praestantissimum omnium decus, et ornamentum: ad quod alludere videntur verba illa Salomonis (*Eccles. 26*): *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonae species in ornamentum domus eius*: et sicut sol per medias foeces pertransiens, nec minimam labem contrahit; non secus beata Virgo per foeces progenitorum suorum, velut per aqueductum originem suam decens, nullam maculam ab eis contrahens, instar solis in suo ortu purissima, ac fulgentissima prodit; et sicut sol claritate suae lucis cuncta astra longo intervallo superat, ita Deipara Maria divinae gratiae magnitudine, ac divinarum charismatum copia reliquorum omnium sanctitatem longe adeo excellit, ut d. Anselmus (*lib. de exordio humanae vitae cap. 7*) dicat: *Nihil tibi, Domina, aequale, nihil comparabile est; omne enim, quod est, aut supra te est, aut sub te est: quod supra te est, solus Deus est; quod infra te est, omne id est, quod Deus non est: ex quibus verbis aptissime colliges, quam apta sit Virginis cum sole comparatio; quia cum sol quantum locum teneat inter septem planetas, necesse est, tres supra illum, et totidem sub eo esse; ita beata Virgo, instar solis supra se nihil aliud habet, quam tres divinas Personas; sub se vero tres angelorum hierarchias, quae reliquis creaturis superiores existunt. Quare beata Virgo mediam quoddam est inter Deum, et angelos, minor Deo, sed maior angelis, ac omni alia pura creatura; et sicut sol in communicando lumen suum, ac in influendo in haec inferiora, liberalem adeo se exhibet, ut ad eius liberalitatem, et manifestationem significandam, antiqui, ut refert Homerus, virum quandam centimanum, hoc est, centum manus habentem, depingerent, quibus muera porrigeret; ita beata Virgo liberalis adeo extitit, ut nemo sit, qui a calore misericordiae illius se abscondat, aut materna pie-*

tatis illius viscera non sit in se experitis. Ad haec, ut alia non pauca praeterquam, quemadmodum sol est naturale illud horologium, quod summus opifex, et artifex in haec mundi republica afflabre fecit, ut uniformi, ac regulari suo cursu actiones humanas regulareret, ne praeter debitum tempus fierent; ita beatam Virginem, instar regulatissimi horologii, cuius nec vana ulla cogitatio in eam irrepit, aut superfua una vocula ex ore eius decedit, Deus ipse in spiritali hac Ecclesiae rep. constituit, ut cuiuscumque status, et conditionis homines per irreprehensibilem eius vitam regulari, et pravi eorum mores componi possent. Unde d. Ambrosius tam pie quam eleganter dixit (*lib. 2. de Virgin. in initio*): *Sit vobis, tanquam in imagine, descripta virginitas, vitaque beatae Mariae, de qua, velut in speculo, refulget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi: ut tamquam in exemplari, magisteria prohibitas, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis, ostendunt*: haec ille. Ex quibus libet mihi ansam sumere, ut dicam, quod cum singulis hominibus bonum exemplum proximo suo exhibere incumbat, quia unicuique mandavit Deus de proximo suo, praecipue tamen id ad praelatos, et principes spectat: nam cum ipsi sint in republica constituti velut horologium ad regulandas, et componendas subditorum actiones, oportet quidem instar horologii in se regulatissimos esse; hoc sane discrimen interest inter tinnubulum horologii, et alia cymbala, quod haec sive tardius, sive velocius, sive plurius, vel paucioribus pulsationibus sonent, nemo est, qui animadvertat, aut pulsationes enumeret; at, si horologium sonet velocius, aut tardius, quam debeat, cuncti in illud mentis aciem intendunt; et si plurius, quam par erat, pulsationibus sonet, omnes advertunt, easque enumerant, ut excessus eius clarius innotescat, solentque tunc vulgares homines dicere: *Erorum est horologium; non dissimiliter hoc interest inter praelatos, seu principes, et plebeios, ac reliquos subditos, quod defectus, aut excessus istorum non ita facile oculis omnium obiciuntur; ad praelatorum, et principum corrupti mores, et irregulares actiones omnium oculis sint patulae, omniumque animos graviter offendunt, quia cum sint horologium, per quorum regularem motum subditorum actiones regulari debent, non potest vitae illorum irregularitas, ac licentiosa vita consuetudo non esse omnibus infensa, molestae, ac noxia valde.*

Tandem angeli addiderunt in Virginis commendationem (*Cant. 6*): *Terribilis, ut castrorum acies ordinata*: quod singulare epithetum, ut melius explicem, oportebit, ab incepta metaphora solis minime discedere. Certe d. Ambrosius (*in libro Exameron*) tradit, quod leo galum, et maxime album, mirum in modum pertinet: quod idem scripsit Plinius (*lib. 8. naturalis historiae*), dicens, *leonem etiam a galli cantu terri*: cuius rationem naturalem tradit Pierius Valerianus (*lib. 1*) quia gallus vim solaris virtutis magis participat, quam leo: sol enim in illo adeo praedominatur, tamque singulari influenza in eum intendit, ut media nocte, cum ex antipodis ad nos deflectitur, luna

gallus velut applaudens, eius adventum cantus sui hymnis celebret, et non semel, sed iterum, atque iterum canit; et hoc ergo facit deducens explicationem horum verborum (*Cant. 6*): *Terribilis ut castrorum acies ordinata*. Daemon enim, quamvis leo fortissimus sit, non solum beatae Virginis aspectum formidat, sed et eius vocem, aut solam nomen vehementer exhorret; cuius quidem tremoris causa ea praecipua est, quod radii solares divinae gratiae in Maria, velut in sole clarius effulgent, quibus diabolici intuitus valde offenditur. Vel dicamus aliter, comparasse eam aciei bene ordinatae, quia tam pulchritudo, quam fortitudo exercitus non tam ex multitudine armorum dependet, quam ex eo, quod singuli milites illius ita bene se gerant, ut nullus ab ordine suo recedat, et nemo proprium locum deserat. Cum ergo in b. Virgine omnes eius potentiae tam interiores, quam exteriores perfecte adeo ordinatae, et compositae essent, ut nulla nec latum unguem excederet, aut a regula rationis quidquam defligeret, quod sane ultraquam dici potest, mirabile, ac stupendum fuit; cum nullus adeo intuitus Loth inveniri queat, cuius uxor, hoc est caro, aliquando caput retro non convertat; ideo formidabilis adeo daemones extitit, ut propterea Spiritus sanctus eam aciei bene ordinatae comparaverit: aciei inquam israeliticae, ut ego arbitror (*Exodi 14*): quia sicut illa de Pharaone, et eius exercitu victoriam tulit, ita beata Virgo de lucifero, et omnibus eius sequacibus victoriae palmam ab ortu etiam, et incenabulis reportavit, cum enim aliorum ortus a daemone maculati sint, uno, vel altero excepto, ex singulari privilegio, Mariae tamen ortus, et in haec lucem ingressus sanctus magis, et immaculatus fuit, quam fuerit aliorum sanctorum exitus; quae omnia paucis comprehendens beatus Petrus Damianus eleganter dixit: *Quantumlibet altae stellae reluceant, luna tamen, et magnitudine praevincit, et splendore; sic utraque naturam Virgo singularis exuperat, et immensitate gratiae, et fulgore virtutum. Virga esse veri gratiae luminis, in illa inaccessiblei luce perducens, sic utrumque spirituum habet dignitatem, ut in comparatione Virginis, nec possint, nec debent apparere; sicut sol solum orbem illuminat, sic haec sola solidiori lumine et angelos, et homines illustrat. Terribilis, ut castrorum acies ordinata. Terribilis daemones, ordinata virtutibus, singularis timor malignorum spirituum, specialis amor civium beatorum.*

Ad extremum illud non praetermittam observationem dignum. Quid est, quod Sponsus postquam bealam Virginem suavi illa aurorae, lunae, et solis nomenclatura cohonestaverat, tandem terribilem illam appellet (*Cant. 6*), cum armata, ac terribili castrorum acie tremorem, ac pavorem inferente illam conferens? Arbitror quidem Sponsum, ut significaret universale gaudium, quod Marianus ortus universo attulit orbi, comparasse illam aurorae, lunae, et soli, quia aurora infirmis, luna noctu itinerantibus, sol in tenebris iacentibus, laetitiam, et gaudium magnum ingerit. Ad hoc ergo ipsum confirmandum comparavit illam cum

terribili castrorum acie bene ordinata, quia his, qui in captivitate, hostilique obsidione pressi iacent, nihil gratius, aut incandius accidere potest, quam si ingens militum exercitus in ortum subventionem, et liberationem adveniat. Unde licet exercitus hostibus terribilis sit, captivis tamen alacer valde, ac pergratus existit. Cum igitur universus orbis sub misera satanae servitute iaceret, non potuit non vehementer gaudere felici ortu beatae Virginis, quae daemones terribilior esse perhibetur, quam omnia angelorum agmina in tum congregata: nam praeterquam a principio Dominus dixerat, illam daemones caput contrituram (*Gen. 3*): *Ipsa conteret caput tuum; propheticum illud Balaam vaticinium satis idipsum commonstrat* (*Num. 24*): *Orietur stella ex Jacob, et converget virga de Israel, et percussit duces Moab, et vastabit omnes filios Seth, et erit Idumaea possessio eius*. Per haec stellam Mariam intelligi, quae maris stella interpretatur, filiam quidem Jacob, quia ex eius genere orta; et quia sicut Jacob luctator fuit, et supplantator Esau (*Gen. 32*), ita Maria, tamquam legitima eius haeres, fortissimam luctatorem adversus daemones semper se exhibuit, adeo ut illi devoti, ac in servitium redacti, velut villa mancipia virgine ab ea vapularerint (*Num. 24*): *Conversuet virga de Israel, et percussit duces Moab*. Nec abhorret ab hac intelligentia vocasse illam stellam; cum nullum armorum genus ad profligandas tenebras luce fortius, et potentius excogitari possit, iuxta illud d. Pauli (*ad Rom. 13*): *Abieciamus opera tenebrarum, et induamus arma lucis*. Deinde aliter: Sponsus volens spiritualem Virginis pulchritudinem describere, comparavit illam aurorae, lunae, et soli, quia haec singulari decore, ac mira pulchritudine sunt conspicua; prosequens autem idipsum, cum castrorum acie bene ordinata illam componit, quia revera nihil aspectu pulchrius, quam militum exercitus recte dispositus, ac fortissimus, et fulgentissimis armis praemunitus, ac disertis verbis clamavit propheta Balaam, cum videns populum Israel in varias tribus ordinate divinum, et in tentoriis commorantem, in haec verba prorupit (*Num. 24*): *Quam pulchra tabernacula tua Jacob, et tentoria tua Israel!* Atque hinc foeminas ammonitas esse velim, ut instar castrorum aciei bene ordinatae cum pulchritudine terribilitatem coniungant, ita, ut quanto pulchriores, tanto viris earum castitatem oppugnantibus terribilior se exhibeat, Sponsam in hoc imitantes, de qua Sponsus dixit (*Cant. 5*): *Quid videbis in Sunamite, nisi chorus castrorum?* Ecce laudat illam, quod non demulceret, sed terret insectans illam, ac severitate sua in fugam eos converteret, ne quidquam divinae maiestatem offenderet; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IV.

In gratiam Mariani ortus multiplici eruditione de Deipara Virgine explicantur verba illa Isaiae: Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice eius ascendet.

Quamvis gravissimi quidam Ecclesiae Patres, Hilarius (in Psal. 2), Clemens Alexandrinus (lib. 1. Pedag. cap. 7), Cyrillus (super Isa. 11), et Basilii (ib.) omnia haec Isaiae verba de solo Christo interpretantur; at aliorum priscorum Patrum expositionem, et intelligentiam secutus, Hieronymus (super c. 11. Is.), Augustinus (lib. 2. de symb. ad Cate. cap. 4, et serm. de temp.), Ambrosii (lib. de bened. Patri. c. 4, et lib. 2. de Spiritu S. cap. 5), Leonis (ser. 4. de Nativit.), Rupertus (lib. 2. in Isa. cap. 6 et lib. 11. de vict. verb. cap. 28), d. Bernardus (ser. 2. super Missus est), et Tertullianus (lib. 3. Marcion. c. 8. et lib. contra Iudaeos c. 9), illa apte satis expone de Matre simul, et Filio, aut, ut sub metaphora virgae Mater, sub nomine vero floris Filium intelligatur; sic enim loquitur divus Ambrosius: *Radix, familia Iudaeorum, virga Maria, flos Mariae, Christus: eisdemque verbis utuntur praecitati Patres, quorum expositionem probat Ecclesia catholica, dum canit: Virga Jesse filius, virgo Denu, et hominem genuit.* Et quidem in sacra Scriptura perplures virgas reperio, quae dum b. Virginem adumbrant, intelligentiam hanc mirifice adstruunt: inter has insignis fuit virga Aaronica, de qua sacra narrat Numerorum historia, quod cum discipulo orta esset de dignitate sacerdotibus obtinenda, quibusdam usurpare illam volentibus, iussit Deus, singulos afferre virgas, et cuius virga germinasset, ille in sacerdotalem dignitatem divinitus electus haberetur. Contigit, ut Aaronis virga germinaret, et turgenibus gemmis emitteret flores, qui foliis dilatatis in amygdalas tandem sunt deformati. Ex duplici capite virga haec beatam Virginem praefigurabat: tum quia, sicut virga florem suum producit absque aliqua sua divisione, aut scissione; ita beata Virgo absque virgineae suae integritatis violatione suavissimum illum florem Christum Dominum germinavit, divo Bernardo dicente (serm. 2. super Missus): *Nec virgae vireorem floris laedit emissio, nec Virginitas pudorem sacri partus editio: tum quia teste Pierio Valeriano (lib. 31), arbor amygdalina symbolum fuit castitatis, et continentiae apud antiquos, et inter omnes arbores hoc habet peculiare, quod prima omnium emittit flores; quod non obscure praenotavit, Mariani omnium castissimum primam inter omnes emississe votum virginitalis, ut ex d. Bartholomaeo apostolo referat Abdias in vita illius. Sed et aliud singulare arcanum latet in eo, quod virga illa amygdalina esset. Fuit olim oppidum quoddam nomine Luza, quod secundum divum Hieronymum (lib. de nominibus hebraicis), amygdalum significat: hoc tamen nomen Iacob patriarcha mutavit, nuncupans illum Bethel (Gen. 28), quod domus Dei interpretatur: viderat enim ibi scalam tendentem super terram, et cacamine suo coelum tangentem, et Dominum*

inmixtum scalae; nec illic esse aliud, nisi donum Dei, et portam coeli. Ecce ergo hodie nascitur amygdalus, existit Luza, post paucos annos futura Bethel, hoc est, domus Dei, in qua plenitudo divinitatis corporaliter habitabit. Scio de illa Bethel dictum esse, Ieroboam vidulum in esse immittentem, idololatricae sedem fecisse, ob idque nuncupatam fuisse Bethaven (6. Reg. 10): at haec est mira excellentia huius sacrae, et mysticae Bethel, quod nunquam in Bethaven migratura sit; semper erit ab omni peccato aliena; nullus unquam in ea erit locus vituli Ieroboami: tum deinde, quod sicut amygdalus, quasi quodam evangelico munere fungens, bonae spei nos plenos facit; etenim constat ex eius proventus totius anni copiam praesumi, poeta canente:

Contemplator item, cum se nux plurima videns. Induct in florem, et ramos curvabit olentes; Si speravit foetus, pariter frumenta sequentur. Magaque cum magno venit tritura calore,

Ita mystica haec virga amygdalina rebus orta spiritualium frugum largitum, ac divinum charismatum copiam pollicetur, cum ex ea producendus sit Christus Dominus, bonorum omnium scaturigo, qui amygdali fructui persimilis est, ut eleganter prosequitur divus Augustinus: cum enim comparasset Deiparam Mariam virgae Aaronicae, dixit: *Virga ecce protulit, quod ante non habuit, non defossa semculo, non animata succo, non foecundata sennario; et tamen, cum illic deesset universa virga naturae, protulit virga, quod nec semine suggeri potuit, nec radice. Virga illa Aaron (Num. 17), Virgo Maria fuit; posthac continuo subiungit: Quod ergo virga illa nux nobis produxerit, imago domini corporis fuit; nux enim tria habet in suo corpore, substantiae unionem, corium, testam, et nucleum. In corio caro, in testa ossa, in nucleo interior anima comparatur; haec ille. Itaque sicut olim quaedam arbores infelices habebantur, ut tradit Plinius (lib. 6. natur. histor. c. 16, et lib. 24. c. 9); tales, salix, betulla, et ulmus infortunatae erant; servi enim dominorum saevientium iussu virgulis ulmeis corripiebantur; magistratum virgas betulla suppedabat; si tales decrant, vicem illarum salinae virgae supplebant, ut ex Prudentio de d. Romano martyre ostendit hymnus; salix autem symbolum erat sterilitatis, eo quod a se semen infocundum esset; vel, quod (ut Porphyrius in Homerum asseruit) salicis semen virum proinatam sterilitatem inducat. Aliae arbores apud eosdem antiquos, felices, et fortunatae natae censebantur, ut platanus, cedrus, cyparissus, laurus, oliva, palma, vitis: unde ex frontibus quarundam illarum coronas texebant ad redimenda triumphantium capita: ad hunc felicitium arborum numerum aggreganda venit amygdalus, cum revera reliquis omnibus multis nominibus praecellat: nam si fructum quaeras, gignit utilissimum, atque suavissimum; si celeritatem amas, non differt, statim adae omnes efflorescit; si diuturnitatem desideras, durat nucleus in plures etiam annos; si delectat arboris venustas, et gratia, profert*

pulchros flores aspectui valde gratos; si constantiam beneficentiae laudas, postrema certe inter omnes arbores foliis spoliatur; aestatem ferens ditissimam, salvo frondium virore. Quae omnia cum apte satis beatae Virgini convenire competunt sit: ipsa enim praeclearum adeo fructum produxit, ut aeterni Patris foecunditas praecleariorem non produxerit; pulchrum etiam adeo, ut solus eius intuitus beatos intentes reddat: ipsa tanta celeritate florem virginitalis emisit, ut David diceret (Psal. 44): *Adjuventur virgines post eam; ipsa adeo constans, ut velut immobilis columna a patibulo crucis non diverterit, Ioanne dicente (cap. 19): Stabat iuxta crucem Iesu mater eius.* Ac tandem, cum ipsa ortu suo ubertatis foecundanda bonorum, qua Ecclesia universa foecundanda erat, certum propositum esset, merito per amygdalinam virgam designatur.

Multa praecleara commemorat sacra Scriptura libri Exodi (c. 4. usq. ad c. 17), operatum fuisse Moysen per virgam haec Aaronicam, inter quae illud valde memorabile fuit, quod Pharaonem, et Aegyptios eius in mari rubro submersit, gloriosam Israelitis de hostibus suis victoriam conferens; unde intelligitis difficilem locum Cantico, praesenti argumento, in quo virgae Virginem comparamus, accommodatissimum (Cant. 1): *Equitatus meus in curribus Pharaonis, assimilavit te antea meo.* Ad huius loci germanam intelligentiam praesupponere oportet, quod cum Pharaon, multis Aegyptiis illum stipantibus, persequeretur filios Israel, proximi illis ad mare rubrum, Moyses aquas illius virga tangens, viam aperuit, per quam sicco pede filii Israel pertransire possent, ac hostium vanam spem illos occidendi deluderent. Immo, si credimus Origeni (hom. 7. in Exod.), qui ex antiquissima traditione illud accepisse affirmat, duodecim vias per mare rubrum aperuit, ut singulae tribus, quae duodecim erant, per duodecim vias commodius, ac brevius pervaderent: quod quidem non obscure mihi videtur dixisse Davidem, dum cecinit (Psal. 135): *Qui divisit mare rubrum in divisiones; non ait, divisionem, sed divisiones, ut significaret, non unam, sed plures vias apertas tunc fuisse: et quod mirabile etiam est, et observatione dignissimum, quod vias illae floribus consistae instar amoenissimi prati repente comparuerunt, ut non solum ad fugiendos hostes, sed et ad voluptatem capessendam inservirent. Non est hoc commentum nostrum, cum id non obscure nobis testentur verba illi libri Sapientiae, ubi Salomon varios favores commemorans, quibus Deus populum israeliticum prosequutus fuerat, ait (Sap. 19): *In mari rubro via sine impedimento, et campus germinans de profundo unio, per quem omnis natio transiit, quae tegebat tua manu, videntes tua mirabilia et monstra.* Postea autem Aegyptii ira perciti, easdem maris rubri vias ingredientes, aquis, quae divisae fuerant, in unum confluentibus, fluctibus earum submersi, repentina morte mulcati fuerunt. Ad hanc ergo historiam alludens, comparat b. Virginem equitatus suo, victoriam reportanti contra cursum Pharaonis: sed hinc emergit difficultas huius loci; nam Israelitae*

pedites egressi sunt de Aegypto (Exod. 12), suppellectilem suam supra dorsa portantes: non erant eorum multitudo, atque armorum copia praemuniti: quis ergo erat equitatus isto ex parte populi israelitici? Respondet ingeniose satis Rupertus (super cap. 1. Cantico), equitatum hunc fuisse potentissimum illum Moysen virgam, cuius mirabili virtute populus Dei instar fortissimi, ac munitissimi equestris exercitus, hostes profligavit, atque interemit, gloriosamque de illis reportavit victoriam: verba Rupertus sunt haec: *Quisnam fuit ille meus equitatus in curribus Pharaonis, vel quomodo in curribus Pharaonis? magnum, et mirum spectaculum respicienti inde cursum Pharaonis, hinc equitatum meum. Cursum namque Pharaonis calde multi ferro armati, plerique etiam auro, vel argento insigniti fuerunt; equitatus autem meus, virga una fuit, virga Moysi, et Aaron: haec ille. Sed quomodo, inquit, virga inanimata equitabat, quomodo contra superbos Pharaonem cursum militabat? Respondeo, hoc modo equitasse, et militasse, quia versa in colubrum devoravit virgas magorum (Exod. 4. 7. 8. 9. 14. 10. 14); percitens aquas fluminis, illas vertit in sanguinem; extensa super rivus ad paludes, eduxit penae infinitas ranas; quatenus pulverem, fecit cymiphes homines, et iumenta pungentes, perire; muscas insaper, quibus domos, et rura implevit: fecit deinde, ut morenter omnia animantia Aegyptiorum, et in hominibus exorta sunt vulnera vesicarum turgentium. Quid plura? equitavit, atque viriliter pugnavit virga illa, cum extensa in coelum tonitrua eduxit, et grandinem mixtum igni, ac fulgura super terram Aegypti cadentia; deinde extensa super terram ascendere fecit locustam, et devoravit omnem herbam, quae residua fuerat graminis; fecit rursum, ut tenebrae densissimae universam Aegypti terram occuparent; ac novissime elevata super mare divisit aquas, et viam floribus stralam aperuit, ut filii Israel securi, ac laetabundi iam pervaderent; iterumque reducta super mare, perivit aquis currus, et equites Aegyptiorum. Recte ergo, inquit Rupertus, virga talis dicitur equitatus Domini, quae contra tot currus, et equites Pharaonis sola sufficit, et victoriam peregit. In hoc ergo Sponsus assimilat Virginem equitatus suo, quod sicut virga illa virgas maleficorum, et incantatorum devoravit, et omnem superbiam aegyptiacam contrivit; necnon etiam germinavit, frondavit, floruit, non plantata, non succo terrae humectata, sed virtute coelesti supra usum naturae prolecta; sic b. Virgo cunctam privitalem haereticam interemit, superbiam diaboli deiecit, ortu suo sancta, conceptu florida, partu fructifera, ac virgo semper incorrupta manens; quibus Deiparam Mariam de tribus infestissimis hostibus, diabolo, mundo, et carne celebrem victoriam palmam reportasse, nemo est, qui non videat. Timeat ergo hanc virgam caro, expavescat mundus, contremiscat Lucifer; sed et paveant, atque metu tabescant scelerati homines divinae legis praevaricatores, praecipue tamen turpissimis libidinis laqueis irretiti: hos enim castissima Virgo, instar mosaycae illius virgae, quae Magorum virgas devoravit, per-*

det, atque consumet. Mater quidem dilectionis est, non diffolor, sed nonne simul et timoris? dilectionis bonis, timoris malis; non virga tantum consolationis est (Psal. 22): *Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt*; verum etiam est virga irae, et virga furoris improbis, qui dilectione repudiata, Deum per poenitentiam placare non student; his mater est iustissimi timoris, et supplicii (Psal. 2): *Reges eos in virga ferrea*: in cuius figura olim Ieremias vidit virgam vigilantem (Ierem. 1), quae beatam Virginem adumbrabat; et post illam vidit, et exlimuit *ollam succensam*: et, ut haec praecedentibus consonent, LXX. Interpretes, et Theodotus dicunt illam fuisse *anygdalinam*, seu *nucem* instar Aaronicae virgae. Car autem primo nucem, cur vigilantem, cur ollam postea vidit succensam? non meam, sed divi Augustini responsum audiamus (sermone 90 de tempore) ubi ait: *Vita, et mors portus ante faciem nostram, et vita quidem Christus in sacramento nucis, mors autem diabolus in figuram ollae succensae. Si ergo peccaveris, portionem tuam pones cum olla succensa; si autem iuste egeris, efficitur portus tua in virgam nucem*: haec d. Augustinus. Sed, et respondeat d. Ambrosius (in Psalmum 19) dicens: *Quoniam qui baculo non corrigitur, mittitur in ollam, ut ardeat, et tabescat, ideo ad prophetam Ezechiellem dicitur: accipe tibi sartagine, et accipies iniquitates domus Israel, et consummabis, et tabescent in suis iniquitatibus. Itaque beata Virgo per omnia Christum imitans, sicut ipse mors est malis, vita bonis, ita et ipsa probris, et poenitentibus est pia mater, imphis vero, et impenitentibus crudelis noverca. Atque hinc est, antiquum serpentem, nihil praeter Christum magis expavescere, quam mysticam hanc virgam, quae caput eius contrivit, Isaia id attestante (cap. 30): *Pavescit Assur virga percussus*: a quibus verbis non dissonant illa alia loci (cap. 40): *In oculis eius, quasi hamo capit eum*: fuit enim beata Virgo virga, ex qua pependit esca carnis Christi, sub qua latebat hamus divinitatis, quo captus fuit antiquus ille Leviathan, humani generis infestissimus hostis, ut eleganter his verbis prosequitur Petrus Damianus (ser. 30, de nativitate. *altas homil. 47*): *Cum in eo serpens iste per manus persequentium, escam corporis momordit, divinitatis illum oculis perforavit. Prius vero cum in miraculis Deum cognoverat, sed de cognitione ad dubitationem cecidit, quando hunc passibilem eum vidit. Quasi hamus ergo fauces deglutientis tenuit, dum in illo esca carnis apparuit, quam devorator appeteret, et divinitas passionis tempore latuit, quae necaret. In hamo eius incarnationis captus est, quia dum in illa appetit escam corporis, transfusus est iaculo divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quae ad se devoratorum duceret; ibi divinitas, quae perforaret; ibi aperta infirmitas, quae procrearet; ibi occulta virtus, quae a reportis fauces transfigeret. In hamo igitur captus est, quia inde interit, unde momordit; et quos iure tenebat, mortales perdidit; quia eum, in quo ius non habuit mortis, appellere in morte praesumpit. Sed, et aliter etiam vidit daemoneum captum ab hac mystica virga, Iob dicebat (cap. 40): *Num il-***

*ludes ei quasi avis? Solent quidem aves hoc officio capi: inungitur virga visco, cui, si avis insidat, tenaci visci virtute comprehensa manet: non dissimiliter daemoneum, quem sub metaphoram avis apte intelligi docuit Christus Dominus (Luc. 8), in parabola seminis, volentem coeli illum appellans, captus fuit ab hac mystica virga, quae per desponsationis vinculum, velut visco coniuncta Iosepho, diabolum fecerit, ne eius virginitatem adverteret, ut docuit his verbis Ambrosius (de nat. Domi): *Ut virginitas Mariae falleret principem mundi, qui, cum desponsatam cereret viro, partum non potuit habere suspectum.**

Ceterum, iam virgas alias beatam Virginem adumbrantes breviter percurramus, et ad florem ex hac virga sacra exortum accedamus. Arbitror, virgam illam, quam Iacob iam iam moribundus in modum sceptri adoravit, cuius meminit d. Paulus (epistola ad Hebraeos c. 11) dicens (cap. 11): *Fide Iacob moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit, et adoravit fastigium virgae eius*: sic enim legit nostra vulgata; sic etiam verterunt septuaginta interpretes; sic etiam transtulerunt ex graecis Patribus, Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, Pholius, Geghenlius; ex latinis vero Anselmus, Primasius, Aymon, Bucherius, et Hugo Victorinus: quodque caput est in hanc seculentiam, laudavit synodus generalis lectionem hanc in epistola Pontificis Adriani. Conveniunt omnes Patres, virgam illam, cuius fastigium adoravit Iacob, virgam esse Iosephi filii sui, quam, tantquam prorex Aegypti, velut regium sceptrum in manu ferebat; quae propterea apte Virginem praefigurabat, quae virga erat Iosephi, cui in coniugem fuerat data: fastigium huius virgae Christus Dominus erat. Iacob ergo praevidens in spiritu Iesum florem Iesseum ex virga Maria nasiturum, honoravit virgam cum fastigio. Praefiguravit etiam eandem Virginem virga aurea Assueri (Esther 5), quam extendebat in signum elementiae; et per virgam Ionathae (1. Reg. c. 4.), quae melle respersa, principis famem mitigavit, ac robustiorem reddidit; necnon per virgam illam, quam vidit Iohannes (Apocal. 11), qua mensurabatur Templum Dei, et altare, et adorantes in eo; ac tandem per virgam Zachariae (cap. 11), quam, *decorem* vocavit: est enim b. Virgo, velut virga Assueri (Esther 5), quae dum ad nos per pietatem suam se extendit, ad Assurum, beatitudinem significante, nos introducit; in cuius figura legitimus, Bersabeam impetrasse apud regem filio suo Salomoni regnum (2. Reg. 1): et sicut olim praetores solebant virga leniter percutere servos super capita, quando volebant eos libertate donare, iuxta modum, quem refert Gloss. (in §. multi, et in verbo: *Vindicta*, Instit. de libertinis): sic, cum Christus cor nostrum suaviter percutit virga devotionis Mariae, liberos nos facit a servitute diaboli, ac speciali amoris vinculo nos secum coniungit: fuit etiam velut virga Ionathae (1. Reg. 14), dulcissimum favum carnis Christi nobis porrigens, quo alimur, et nutrimur, et ad pugnam fortiores, et robustiores reddimur. Est insuper velut virga mensurans omnes fideles: ad triplicem enim

classem omnes illi reducuntur; ad virgines, ad continentes post naufragium virginitatis amissae, et ad uxoratos. Hi omnes, si velint ad normam, et mensuram Marianam se aptare, et per eius actiones vitam suam regulare, maximum in dies virtutis incrementum suscipiant: unde d. Ambros. ait (1.2. de Virg. in initio): *Sit vobis, tanquam in imagine descripta virginitas, vique b. Mariae, de qua, velut in speculo resfulget species castitatis, et forma virtutis; hinc sumatis, licet, exempla virtutis; ubi, tanquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeat, ostendunt*: haec ille. Denique per virgam Zachariae apte Virgo praefiguratur: sic enim ille ait (cap. 11): *Assumpsit mihi duas virgas, et unam vocavi decorem, altam funiculum*; virga, quae funiculus nuncupabatur, Evam praenotabat, quae funibus peccatorum nos constrinxit; virga vero, quam appellavit decorem, b. Virginem significabat; decorem quidem in sua conceptione, decoram in ortu; sed et magis decoram in fructificatione floris, et fructus: sicut enim virga tunc pulchrior, et omnium oculis gratior apparet, cum floribus, et fructibus ornatur, ita tunc venusta magis, ac decora mystica haec virga extitit, cum flos de radice eius ascendit, et velut ab arboris virga Iesus benedictus, fructus ventris eius, ab illa pendebat.

His adnectamus varias conditiones virgae, variosque virgarum usus, et munera, ex quibus nuper exortae virginis excellentia non parum illustrabitur. Inter virgas quaedam rectae, aliae obliquae, et extortae nascuntur: omnes quidem sumus virgae ex illa prima arbore, quam Deus a principio creavit, primo scilicet parente pullulantes; sed nos peccati originalis obliquitate extorti contempnimur, et nascimur: at b. Virgo absque illa peccati obliquitate virga recta nata est. Philosophi dicunt, rectum illud esse, cuius medium non dissentit ab extremis: duo extrema virgae beatae Virginis fuisse nativitatem, et mortem, nemo ambigit; cum ergo vira eius sancta, et recta semper fuerit, consequens est, extrema illa, nativitatem, et mortem, sancta, et recta fuisse; et quidem, si Deus fecit hominem rectum, ut ait Ecclesiastes (cap. 7), nemo dubitare debet, Matrem creasse rectam: non enim par erat, in hoc servum praefieri Matri: et sicut virga absque susceptione seminis, coelesti influenza adiuta, innata sua virtute concurrente, florem germinat, et fructum producit; sic mystica haec sacra virga absque humano semine, Spiritu sancto illam obumbrante, ac foecunda eiusdem Virginis generativa potentia concurrente, Christum florem, et fructum omnium pulcherrimum peperit: et sicut virga vento flante contremiscere solet, ita Virgo ad flatum salutationis angelicae tota contremuit (Luc. 1): *Turbata est in sermone eius*; unde ad tremorem illum expellendum continuo angelus dixit: *Ne times Maria, invenisti enim gratiam apud Deum*: et sicut tenera virga valde flexibilis est, sic et b. Virgo facilis, quam omnes sancti, ad preces nostras flectit, ac iustus fidelium petitionibus annuit; unde Bernardus (serm. de verb. Apost. cap. 12) ait: *Quid ad Mariam accedere*

*trepidat humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offerens lac, et lanam. Denique persimiles adeo sunt, virga, et Virgo, ut per solam ultimam literam inter se differant: virga enim finitur in a, quae prima litera esse noscitur alphabeti latini; virgo vero finitur in o, quae est ultima litera alphabeti graeci: Ioannes autem in sua Apocalypsi, Filium, ait, Mariae vocari utramque hanc literam, a, et o (Apoc. 1): *Ego sun alpha, et omega, principium, et finis*; sicut ergo duae istae literae a, et o, finiunt, ac perficiunt duplicem hanc vocem, virga, et Virgo; ita Christus Dominus ex Virgine carnem assumpsit, et fecit Mariam virgam, florem, et fructum germinantem, et constituit illam praecelsissimam omnium Virginum, virginitatis eius integritatem non solum non violans, sed augens, et exornans, Ecclesia catholica canente, Christum Dominum ortu suo virginitatem Matris non minuisse, sed sacrasse. Unde sicut si teneram virgam assumas, et extremitatem extremitati coniungas, inde litera o resultabit, ita, si ex hac mystica virga duas illas extremitates secundum naturam valde inter se dissidentes, virginitatem, scilicet, et foecunditatem coniungas, inde Virgo prodibit per literam o, quae undique clausa est, satis apte significata, cum secundum catholicam fidem virgo in conceptu, et virgo post partum semper remanserit. Ad extremum, sicut pastor virga nil solet, ut in itinere regal, et dirigat gregem, nil in vetula ingreditur; ita Christus Dominus, supremus omnium Pastor, Ecclesiae catholicae gregem, media hac mystica virga, scilicet beata Virgine, gubernat, ac dirigit; unde et apte congruunt illa verba Davidis (Psal. 44): *Virga directionis, virga regni tui*; cum errantes oves dirigit, ut ad ovile, et pastorem suum revertantur. Virga etiam ut solet viatores, cuius usum non interdixit Christus Dominus Apostolis, Marco dicente (Mar. 6): *Et praecipit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum*. Deservit quidem virga viatoribus, ad haec praesertim duo, et ad levamen laboris, et ad percutiendos canes, si quos ad mordendum viatores invadere contingat: non secus nos viatores, quae peregrini, ut vocat nos Apostolus (1. Pet. 2), haec mystica virga valde indigemus, quam si corde per devotionem, hoc per invocationem, manu per imitationem, gestaverimus, interius mirifice recreati, a daemone incursumus, qui velut inimicissimus canes nos dilacerare contendunt, liberabimur, atque protegemur. Unde d. Bernardus tam pie, quam eleganter ad id nos exhortans, ait (hom. 2. super Missus est): *Si crininum immanitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitia, et desperationis abyso, cogita Mariam: in periculis, in angustiis, in rebus dubis Mariae invocata, non recedat ab ore, non recedat a corde; et ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum.**

Porro, iam reliquum est, ut cetera, quae in verbis illis latent arcana, referamus. Et flos, ait Isaia (cap. 11), de radice eius ascendit: e quidem hunc florem esse Christum, qui de seip-

so dixit (Cant. 3): *Ego sum flos campi*, praeterquam communis est Patrum intelligentia, clare liquet ex Paraphrase Chaldaeo (in e. 11. Isai.), qui cum locum verit in hunc modum: *Egrēdiatur rex de filiis Isae, et Christus de filiis florum eius ungetur*. Unde divus Hieronymus ex hoc loco explicat verba illa Matthaei (cap. 2): *Ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam: Quoniam nazaraeus vocabitur, quae verba nulli reperiantur; ipse autem dicit, haec esse, quia legit, et nazaraeus de radice eius conserget*: nazaraeus enim idem est, quod floridus. Alii ex hebraeo vertunt: *ex radice eius conserget separatus, aut custos*; quae recte Christo congruat, cum ipse sit separatus, et segregatus a peccatoribus, ut loquitur d. Paulus (ad Heb. 7): *insuper et vigilantissimus custos omnium*, ut vocat illum Iob (e. 7). Scio Burgensem velle Christum nazaraeum vocari ab illo textu Psalmi 131: *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*, quod idem est, ut explicat ipse, ac si diceret: *super ipsum efflorebit nazaraeus sua, seu, consecratio sua*. Hic ergo flos, Christus Dominus, floruit quidem in nativitate, languit et emaruit in flagellatione, aruit in morte, et resurrexit in resurrectione, ut in persona eius dixit David (Psal. 27): *Et resurrexit caro mea*. Si flores ad multa utiles sunt, ut ad flagrantiam, et suavolentiam, ad pastum, et ad medicinam propter liquores varios, qui ex illis exprimuntur, ac tandem ad contexamendam coronam; haec omnia Christo excellentiori modo convenire nemo diffidebitur, qui consideraverit odorem sanctitatis eius per totum mundum diffusum; unde illum praecursoris Iacob dixit (Gen. 27): *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni*; agrum plenum vocat beatam Virginem gratia plenam, ex qua flagrans hic flos prodiit, cuius odorem participans Apostolus dicebat (2. Cor. 2): *Christi bonus odor sumus*: ex hoc flore expressus fuit salutaris Ille purpurei sanguinis liquor, in medicinam spirituum vulnerum animarum. Ad pastum etiam hunc florem prodesse nemo negabit, qui Christum audierit dicentem (Ioan. 6): *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendit*. Ex hoc tandem flore contexamendam esse coronam ad redimendam sanctorum capita, disertis verbis edixit Isaias propheta (e. 28): *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriae, et tertium exultationis residuo populi sui*. Hugo de sancto Victore (miscellanea 2.) septem floris proprietates describit: enim esse subtilem, tenerum, mollem, levem, odoriferum, pulchram, et mitem. Ecce Christum subtilem per corporis extenuationem, tenerum per amorem, mollem per mansuetudinem, levem per paupertatem, odoriferum per vitae sanctimoniam, pulchram per virtus venustatem cum singulari modestia conciniam, utilem per doctrinam, carnem, et sanguinem, quibus animam fidelium variis modis cibet, et potat.

Ad flagellum illud silentio minime praetermittam, quid sibi velit Isaias propheta, dum postquam dixerat (cap. 11): *Egrēdiatur virga de radice Isae*, continuo subiecit: *Et flos de radice eius ascendet*; cum aliquando sufficere videbatur dicere: *et flos de virga eius ascendet*? Ad consulo prophetam verba illa, de radice eius, addidisse existimo, ut Christum Dominum, et

Mariam ex eadem davidica radice oriundos fore, atque adeo corpus Christi, quod intra Virginis iterum erat efformandum, non fictum, aut phantasticum, instar corporum, quae angeli solent assumere, futurum esse, sed verum, et humanum, quale habuit ipsa radice davidica, aperte demonstraret. Accedit, quod et idipsum confirmat, si vim faciamus in verbo illo *flos*: nam sicut flos producit ex sublimiori substantia, et puriori succo ipsius plantae; sic Christus Dominus instar floris secundum carnem formatus fuit ex sublimiori substantia, et puriori sanguine immaculatae Virginis; unde d. Bernardus (lib. 8. de consideratione) dixit, ex verbis istis Isaias, et *flos de radice eius ascendit*, convinci falsitatem erroris quorundam haereticorum dicentium, et corpus Christi fuisse desumptum ex materia coelestis. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V.

Beatam Virginem natam fuisse pulcherrimam omnium foeminarum, eiusque pulchritudinem libidinem eam inventum extinxisse, sanctorum Patrum monumentis, ac variis rationibus, commonstrans; pariterque de Fulgore vultus illius, capillorum colore, et corporis suavolentia disserimus.

Videbitur fortasse alicui supervacaneum esse commendationem b. Virginis a pulchritudine corporis petere, cum hanc divina eloquia detestentur, sancti Patres fugiendam admovent, ac philosophi antiqui non pauci contra illam praecelara multa scriperint. Certe, si divina eloquia consulimus, Ecclesiasticus dixit (cap. 13): *Vestigium cordis boni, et faciem bonam difficit, et cum labore invenies*; et alibi (Ecles. 9): *Ne circumspectas speciem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt*; et ibidem: *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius*. et (Proverbor. ultimo): *Fallax gratia, et vana est pulchritudo*; vel, ut hebraeus codex habet: *Mendacium est gratia, et vanitas est pulchritudo*. Isaias etiam dixit (cap. 40): *Exortum est foenum, et cecidit flos, et decore vultus eius deperit*; et Iob (cap. 18): *Devorat pulchritudinem cutis eius, consumat brachia illius primogenita mors; imo Deus excravat videtur pulchritudinem corporis, cum (Threnorum 2.) dicatur: Occidit omne, quod pulchrum erat visum in tabernaculo filiae Sion*. His consonant, quae Patres dicunt: d. Chrysostomus ait (hom. 20. ad Ephes.): *Extrema visus pulchritudo plena est mutatae superbiae, et arrogantiae*. d. August. (lib. 15. de civit. Dei) vocat pulchritudinem bonum minimum: exponens enim verba illa (Gen. 6): *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae*, ait: *deserto magno bono, lapsus factus est ad bonum minimum*: d. Hieronymus (super Ecles. 7) mulierem pulchram vocat *matorem omnium caput*: d. Chrysologus (ser. 77) *superbi titulum*: nam sicut titulus lapidi insculptus solent indicare sub illo adesse sepulchrum, ita mu-

licbris pulchritudo quasi quidam titulus est, qui instar epigraphae indicat, illam sepulchrum esse multorum, qui solo eius aspectu interierunt. Tertullianus tandem pulchram mulierem vocat diaboli ianam (lib. de habitu mulier.). Mira etiam veteres illi Gentiles in pulchritudinis vituperium scripsere: Iuvenalis dixit:

Rara est concordia formae, atque pudicitiae:

et Ovidius (in 1. de Fastu):

Fastus inest pulchris, sequitur superbia.
Et si quae est illis formosa, invidet illi;

simile est illud libri 1. de arte amandi:

Delectant etiam castas praeconia formas.

Ex quo factum est, ut Pallas, et Iuno, ut refert Virgilius, aegre tulerint iudicium Paridis, iudicantis deam Venerem pulchritudine Iunonem, et Palladem praecellere.

Manet alta mente repostum
iudicium Paridis.

Et Paulus Manutius (in suis Adagijs) refert, celeberrimum fuisse apud antiquos proverbium illud: *Ignis, mare, mulier, tria mala*; ignis comburit, mare submergit, et suffocat; at pulchra mulier malum est: nam si ignem, et mare non contingas, non te laedunt; at foemina pulchra solo aspectu, velut basiliscus, inficit, atque contaminat. De fragilitate etiam, atque instabilitate mulieris pulchritudinis, non pauca tam idem, quam alii philosophi verissime edixere. Cicero ait: *Formae dignitas, aut morbo deflorescit, aut vetustate extinguitur*. Ovidius (lib. de medicamine faciei):

Formam depopulabitur aetas.
Et placidus regis vultus aratus erit:

et alibi:

Forma hominum fragile est, quotcumque accedit ad
Fit minor, et spatio capitur ipsa suo: (ammos,

et lib. 2. de arte amandi:

Nulla non dies formosi corporis spoliis non abstulit.

Et Nemesius (Egloga IV.) similia dicit:

Bonum forma breve est, nec te sibi commodat omnis.

Calphurnius in Baccolis ait:

Non haec semper eris, perdunt et graminia flores.

Boetius (prosa 8. lib. 3. de consolat.): *Formae, inquit, nitor rapidus est, et velocis, et vernulum florum mutabilitate fugacior*; et ibidem: *Aestimatis hoc, quicumque miramini, ariduae febris igitur posse dissolvi*; ac tandem ait: *Si, ut Aristoteles dicit, lynceis oculis homines viderent, ut eorum visus obstantia penetraret, non*

ne introspectis visceribus illud Alcibiadis superficiei pulcherrimum corpus, turpissimum videretur? Igitur te pulchrum videri, non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas. Petraticha etiam eleganter dixit (de remed. utriusque sortis): *Cunctis ac qualitatibus, quae mortali cum corpore fugiunt, nulla velocior, quam forma, quae mox, ut amicum foscolum ostendat, ipsos inter oculos mirantium, atque laudantium evanescent: et cum brevis hunc primum percusserit, levis hunc aurora decusserit, subito, vel manus ungue decipitur, vel praetercens morbi calce deprimitur*; haec ille. Quod si innumera mala, quae foeminarum pulchritudo peperit, commemoranda forent, tempus polius, quam materia mihi deliceret: quemadmodum enim piscator pisces, aeneas aves esca, sic diabolus homines foeminarum pulchritudine decipit; unde d. Ambrosius dixit (lib. de virg.): *Carnes, etiam volantes apulas depomunt*. Aquila Salomon, aquilae multi alii mira sanctitate polentes; quos tamen mulieris pulchritudo fessellit, ac in gravissimum peccatorum batrachum delravit. Noverat quidem rex Balach hanc pulchritudinis vim, et fortitudinem ad emolliendos, et vincendos animos, cum debellaturus Israelitarum exercitum, non strenuus, ac fortis miles, sed pulchrae foeminae instrui praecipit ex consilio Balaam. Origenes (hom. 20 in Numer.) in hunc modum loquentem egredior indicat: *Non virtute, inquit, militum, sed mulierum decore pugnamus est, nec armatorum vigore, sed mollitie foeminarum; procul aeneae armatorum manum, et electam congrega speciem puellarum: forma vincit armatos, ferunt pulchritudo captivat; vincuntur species, qui non vincuntur praetio; haec ille: unde Publius Syrus dixit: *Formosae species, multa commendatio*: et Carneades: *Regnum absque satellitibus*: cui consonat illud, quod Quintilianus, et Pansianus commemorant de atheniensi quadam matrona, mira pulchritudine insignita, quae in publico iudicio prodians, id quod eloquentissimus orator Iserpide sermonis sui venustate, et elegantia ei oblinere non poterat, illa vultus sui pulchritudine, ac miro decore a iudicibus extorsit: unde extat dictum Aristotelicum, Laertio id referente (lib. 5. de vitis Philos.): *Pulchritudo quavis epistola effacior ad commendationem*; et Theophrastus Aristotelis discipulus vocabat pulchritudinem si lentem fraudem: ad quae verba videtur allusisse alia imperialiter (in l. 1. ff. de restit. in integ.) ubi ait: *Utilitas huius tituli non eget commendatione*: ipsa enim se ostendit. Socrates denique crudeliter tyrannum illam vocabat.*

Verum tametsi pulchritudo humani corporis fugax, ac labile quoddam bonum sit, Dei tamen donum est, ut docuit d. Chrysostomus (in Paul. 50), necnon et d. Augustinus (lib. 15. de Civ. Dei c. 22) his verbis: *Pulchritudo Dei donum est; sed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis*. Hinc Plato (lib. 2. de Repub.) inter bona corporalia quandoque vult primum locum tenere sanitate, quandoque pulchritudinem, illamque vocabat *maxime omnium amabilem, et naturae privilegium*, quia paucis conceditur, ut refert